



**V**Valpertus filius fuit Vitekindi ducis Saxoniae, qui primus in ea gente à Carolo uictus, Christianam religionem suscepit. Sunt tamen qui eum filium Vuigberti, & nepotem Vitekindi afferant. Is post patrem Saxoniae praefectus hinc inde Episcopos adiuuit, atq; Christi gloriam unice promouere studuit. Cum autem eo tempore Romana ecclesia in maxima autoritate apud Germanos esset, Vualpertus orationis causa, & reliquiarum acquirendarum gratia Romam profectus est, anno Christi circiter octuagesimum quadragesimum sextum. Ibi à pontifice Leone integrum corpus S. Alexāndri filij S. Felicitatis accepit, & secum

in Saxoniam detulit. Id postea in loco qui dicitur Vuigaltinghausen collocauit. Pari ratione postea Luitholdus Saxoniae princeps religionis gratia Romam profectus, S. Innocenti papæ corpus inde adduxit. Vnde patet, quod Saxoniae principes iam inde ab initio religionis fuerint sacris deditissimi, ita ut semper studuerint ueram Dei gloriam propagare, et sua pietate alijs exemplo esse. Id quod & nostris temporibus omnibus manifestum fuit. Ursperg. in Chronic.